

F A B R I C A   R E G V L A E   P T O L E M A I C A E

Quibus accurate sic inscriptis, Subdiuide demū quamlibet illa  
rum portionū, iterum in 10 partes e<sup>qua</sup>les, Hę autē diuisiones  
manebūt sine numeris, quarū quælibet 100 ualebit partes. De=  
mum cōiunge regulas ut decet, deinde duo clauiculi siue episto=  
mia F G, regulę fortioris infigātur perpendiculariter, ut in fora  
minibus suis liberè circūuolui possint. Huius instrumenti for=  
mulam, uide infra. Modus iste obseruandi astra per has regulas  
Ptolomæi, meo quidē iudicio optimē ualet, modo ut inter duo  
pinnacidia regulæ A D, fiat structura quædā papyracea, ad mo=  
dum canne quadratæ de quadruplicato papyro, ad latitudinē &  
altitudinē pinnularis regulæ A D, sit tamen circa pinnacidiū  
D foramen quoddam appertum, ut radius Solis ueniens per fo=  
ramen pinnaciū A, ad pinnacidiū D, uideri possit, quoniam  
ita radius Solis fortior uidebitur, non impeditus ab aëre uel uen=  
tis. Illarum rerum uide simulachrum mox sequens.

S I M V L A C H R V M   R E G V =  
L A E   P T O L E M A E I.

